



Brevi ac praeliminaris  
Enarratio Caufarum,  
ob quas


SERENISSIMVS ET POTENTISSIMVS  
PRINCEPS AC DOMINVS,

DN. CAROLVS  
GUSTAVVS,

Svecorum, Gothorum, Vanda-  
lorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiæ,  
Dux Esthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini,  
Pomeraniæ, Casubia & Vandalia, Princeps Rugiæ,  
Dominus Ingriæ & Wismariæ; nec non Comes Palatinus  
Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium  
Dux, &c. coactus est

Regem Poloniæ  
bello adoriri.


Accesserunt literæ Ejusdem Serenissimi Regis  
ad S.C. Maj. & Senatorum Regni Svec. ad Senat.  
Polonicos ejusdem argumenti.



HELMESTADI,

Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typogr.

MDCLVI.



10.

R10.



3  
HERMAN. CONRINGIVS  
BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

**E**cce Tibi, Lector, recusum denuo libellum, qui iustificas Armorum Suecicorum in Polonos causas, publica auctoritate jam tum Stetini editus, exhibet: ut & exemplum literarum cum quas ad S. Caesar. Majestatem Serenissimus ac Potentissimus Rex Carolus Gustavus eodem de argumento perscripsit, tum quibus Illustriss. Suecici Regni Senatores questi de injuriis ad seria pacis consilia Senatores Polonicos, re adhuc integra, flectere studuerunt: quorum utrumq; seorsim itidem alibi typis est publicatum. Coniunctim enim hæc legi interest, ut alterum alteri lucem affulgeat, donec majore opere, quod fiet propediem, omnis hæc caussa plene illustretur. Percellunt scilicet non Europam duntaxat, sed orbem pene universum, hæc inclyti Suecorum populi arma inusitati fulminis modo; gaudentibus aliis, aliis invidentibus, aliis sibi metuentibus, aliis plurimum dolentibus; prudenter itaq; data opera est, ut sub initia statim justæ tanti belli causæ omni quasi orbi saltim brevi tabula proderentur, in grandioris libri antecessum. Et vero justitia armorum percepta, habent quare merito plus solito gaudeant amici, quare serio culpam suam doleant victi, quare inani se metu solvant in-

A 2

noxij

noxij sed meticulosi, quare iniquitatis damnent invidiam suam ambitiosi, quare deniq; temperent sibi à similibus injuriis improbi. *Vsq;* adeo scilicet magnam in omnem partem vim habet, si non ipse tantum justitiæ armorum tuorum tibi sis probe conscius, sed & benigna quoq; sit equi cujusvis judicis sententia. Nec enim *Vetus* illud nunc adducam,

Frangit & attollit vires in milite caussa,  
 quoniam venalium corporum, quibus hodie pessimo more magnam partem constat militia, rara isthæc cura est. Absit vero ut saltim Christiani populi armis sua justitia desit: qua remota quid aliud sunt bella quam magna & immania latrocinia, eo pejora quod decretis publicis sint suffulta? Ipsimet sane olim Romani, non perinde atq; nos divinitus instituti, ideo felicia esse bella sua quia justa essent præ se ferebant, nec tam exitu eorum quod vincerent, quam principijs, quod non sine caussa susciperent gloriabantur. Quod Rhodios vere affirmasse, indicant quæ etiamnum supersunt juris fecialis sacræ reliquiæ. Turpe autem fuerit, Christianum populum pietate & morum honestate ab aliquo gentili superari.

*Vetus*



Vetus verbum est: Furor fit læsa sæpius patientia. Quod autem non patientia duntaxat Suecorum, verum, etiam ipsa pactorum religio à parte Polonorum multis modis læsa & violata sit, denique necessitate adactam esse Sac. Reg. Majestatem ad capiendam adversus Regem Poloniæ arma, antevertendaque ea mala, quæ sibi à dicto Rege jamjam imminere vidit; id sequentibus comprobabitur.

Nam etsi pactis Stumdorfiensibus sancitum est, ut Reges Regnumque Poloniæ omni hostilitate abstineant, durantibus induciis, adversus Reges, Regnumque Sveciæ, eisque mediate vel immediate subjectas Provincias, castra, civitates ac territoria, nec quidquam per se moliantur ac tentent, tentarive faciant, in horum detrimentum aut præjudicium; tantum tamen abest, ut credi possit, BOTIUM cum militaribus copiis, inscio & invito Rege Poloniæ ULADISLAO QUARTO, tot Provincias & Ducatus dicti Regni pervadere potuisse, ad infestandam armis Livoniam: quin potius certis documentis constat, instigasse regem Poloniæ eundem BOTIUM, ut illam expeditionem susciperet. Quod antememorati BOTII institutum etsi effectu suo in aliquibus caruit; plurimum tamen mali inopina illius irruptio subditis Regni Sveciæ ibi locutum attulit: nam multi, pactorum religioni fidentes, trucidati, bona eorum direpta & spoliata, magnusque metus illi Provinciæ illatus. Ac licet ea de re per literas questi sint Senatores Regni Sveciæ apud Senatores Reip. Poloniæ Magnique Ducatus Lithvaniæ, nihil tamen solatij retulere; ut argumento sit, hoc non tantum scientibus, ve-

A 3

rum

rum etiam impellentibus Polonis accidisse: proinde nec à veritate alienum est, habuisse tum temporis Lithvanos exercitum ad manus, quo recuperarent Livoniam, exercitu & præsijs tunc destitutam, si propositum B O T I I ex voto successisset; ad minimum illius facti authores merito censentur, quod, ubi voluissent, impedire potuissent.

Par etiam ratio irruptionis C R O C K O V I I in Pomeraniam fuit, quæ à parte Polona averti potuisset, nisi res Svecorum in Germania turbatas, eamque provinciam, proximum afflictis rebus perfugium, devastatam voluissent. Nec satis fuit Polonis, C R O C K O V I O transitum indulgisse: verum etiam ex Putcensi fortalitia, aliisque in Borussia locis, auxilia & tormenta eidem submissa. Et nisi hostiles illæ copiæ ope Comitum K Ö N I G S M A R K I I, tum temporis Generalis vigilum Præfecti, ejectæ fuissent, eam provinciam, ut & adjunctam illi provinciæ maris Balthici oram, in summum discrimen adduxissent. Et, si culpa vacare voluissent Poloni, utique petentibus Svecis, ut reditus C R O C K O V I O per Poloniam prohiberetur, vel ut eundem persequi sibi liceret, haud facile denegassent, manifesto tum hostili erga Sveciam animo.

Quibus machinationibus Oeselia Insula, quæ postremo cum Rege Daniæ bello, factaque ad Bromsebroam pace, Regno Sveciæ cessit, à Rege Poloniæ U L A D I S L A O sit tentata, quamve cessionem illius Insulæ impedire sit conatus, Ejusdem ad Ordines Oeselanos literæ ac diploma, Cubiculario suo B E R G I O traditum, quo eos ad defectionem sollicitaverat, satis superque commonstrant. Nam tametsi nihil unquam juris sigillatim in antememoratam Insulam, toto illo tempore, quo sub ditione Regis Daniæ fuit, prætendit, atque cessisse eandem Regi ac Regno

7

gno Sveciæ, certis cum Rege & Regno Daniæ pactis, scivit, Christianissimo Galliarum Rege & Dominis Ordinibus Generalibus Fæderati Belgij mediationis officia præstantibus; non destitit tamen hostilem in Svecos animum re ipsa testatum facere, & fortasse nec spe sua frustratus fuisset tam recenti mutatione imperij, nisi provida Gubernatoris Svecici cura hanc Poloniæ Regis machinationem intervertisset.

Adhæc tentatam fuisse fidem subditorum Regni Sveciæ in Livonia, haud incertis testimonijs constat; qui etsi in officio permanserunt, non potuit tamen Rex Poloniæ violatorum pactorum culpa carere.

Nec defuere cum Rege Daniæ CHRISTIANO QVARTO, tum temporis alieniore, ut & ARNHEIMIO & BAVDIZIO molitiones in perniciem Sveciæ, quæ singula recensere longum foret, & à proposito nobis compendio alienum.

Hæc tempore ULADISLAI QVARTI patrata; nunc ad ea tempora, quibus fratris sui successor, Rex JOHANNES CASIMIRVS, Poloniæ rebus præfuit, deveniendum. Etenim constitutum sibi habuit Serenissima & Potentissima Svecorum Regina, Domina CHRISTINA, cum Principibus Regni Poloniæ sinceram amicitiam colere, utpote tam propinquo sanguine sibi junctis, & quod satis longinqui temporis, induciæ spem facere viderentur, consopiri aliquando posse mutuas utrorumque Regnorum controversias, stabilemque necessitudinem, inter Principes tam arcto sanguinis nexu devinctos, reduci. Eoque rogatu dictorum Principum, videlicet JOHANNIS CASIMIRI & CAROLI FERDINANDI, Fratrum, haud gravatè commendatione sua apud Senatores Ordinesque Regni Poloniæ  
Magni-

5

Magnique Ducatus Lithvania<sup>e</sup> intercessit, ut in electione novi Regis, præcipuè dictorum Principum rationem habere vellent. Addidit etiam deinceps hoc singulare affectus sui erga modernum Polonia<sup>e</sup> Regem documentum, ut illius causam reip. sigillatim commendaret, annitere-  
rurque omni modo, ut antememoratus Rex voti sui compos fieri posset. Quod Regina<sup>e</sup> studium etsi prosper & voti dicti Regis congruens eventus consecutus est; Eum tamen nihilo mitiorem se præbuisse, & ad æternam cum Regina Sveciæ pacem propensio-  
rem, sequentibus probabitur.

Initia insignis illius amicitia<sup>e</sup>, quæ tum promittebatur, hæc fuere, ut in commercio literarum cum Regina Sveciæ Latinâ linguâ uti noluerit, nullam aliam ob causam, quam ut hocce modo devitaret eam titulorum rationem, quæ pactis induciarum est expressa, titulumque Sveciæ Regibus adstruit, Polonia<sup>e</sup> vero Regibus derogat; id unice agens, ut hac via ipsum pactorum fundamentum convelleret.

Deinde insudasse Regem Polonia<sup>e</sup> indigitatæ superius defectioni subditorum Svecicorum in Livonia, & Rigæ capiendæ consilia agitasse, certò certius liquet.

Adhæc Cosackorum gentem à Rege Polonia<sup>e</sup> sæpius invitata<sup>m</sup> fuisse, ut in Livoniam irrumperet, resque Svecorum ibi locorum turbaret, haud levibus indicis comper-  
tum habet Sacra Regia Majestas. Ita infesto Regis Polonia<sup>e</sup> erga Svecos animo, nihil defuit, nisi ut pessime cogitata adversum innoxios & pactorum observantes (quos nec unquam fractæ pacis causa gens Polona culpæ potuit) exequi non potis fuerit, sic disponente Divini Numinis justitia;

Sunt



Sunt & multa alia contra pacta, fidemque publicam, subditosque Sac. Reg. Majestatis facta, quæ uberiori causarum declarationi ex ipsis actis deducenda relinquuntur. Et potuissent hæc fortasse aliquanto diutius inulta tolerari: Verum ex quo Sveciam Rex & Respub. Poloniæ, ostentatione perpetuæ pacis, toties ludificavit, & interim crebris internunciorum missitationibus, interim binis Lubecæ inter utriusque partis Commissarios congressibus, fucum Svecis fecit non esse se à perpetua pace alienum, nullo alio fine, quam ut tempus traheret, nocendi facultatem captaret, varios in Regnum Sveciæ hostes concitaret, occasionemque Svecis adimeret finiendæ gravissimæ illius controversiæ, quæ utraque hæc regna maxima bellorum calamitate per multos annos afflixit; necessitatem S. R. M.<sup>ti</sup> Regnoque Sveciæ dictus Rex imposuit inferendi belli. Nam ut cætera omittantur, hæc, quæ obiter dicenda sunt, docere possunt, quam parum animi Regi Regnoque Poloniæ ad pacem perpetuam fuerit.

Quippe primo congressu Lubecensi Commissarij Polonici plurimis vitiis refertas Plenipotentias adduxerunt, ubi titulum S. R. M<sup>ti</sup>s Sveciæ sibi arrogavit Poloniæ Rex; subruto hocce modo ipso pactorum fundamento. Ac licet antenominati Commissarij, agnito errore suo, fidem Legato Gallico fecerint, habituros Commissarios Sveciæ intra trium vel quatuor hebdomadarum spatium alias & emendatas plenipotentias, atque Commissarij Svecici eâ spe Lubecæ tamdiu præstolati essent; nullæ tamen advenire, conjectâ in semetipsum culpâ, quod Regem suum à tam præjudiciosa sibi, ut putabant, mutatione alienum, eade re compellere non sint ausi.

B

Secun-

Secundo Lubecensi congressu, hoc præter alia in mora fuit, quod sigillo Plenipotentia Regis Poloniae insignia Regni Sveciae essent impressa, contra quam pactis congruens erat, & alias observatum fuisse, testimonio Magni Cancellarij Regni Poloniae ZADZICKII, Principis ea tempestate Legationis Polonicae, Legatorumque Angliae & fæderati Belgij, satis superque constabat. Et licet etiam hæce vice Commissarij Svecici testati sint, velle se emendatam Plenipotentiam, ubi haberi posset, expectare; nihilo tamen magis, res æquissima, à Polonis, annitentibus Mediatoribus, potuit impetrari. Ita ut hæc potissima cura Regi Poloniae fuerit, quo tempus falleret, atque tanta præliminariū mora objecta Svecos impediret, quo minus ad Tractatum ipsum devenire possent, adeoque de violatione pactorum queri & satisfactionem exposcere.

Hisce & id accedit, quod quamvis CANASIIHLII in Sveciam missu, indicaverit Rex Poloniae, velle se Legatos suos Reique Pub. Polonae ad S. R. M. <sup>tem</sup> ablegare, qui tractatum de perpetua pace coram sua M. <sup>te</sup> auspicarentur, absolventque, atque in id consenserit S. R. M. <sup>tas</sup>, ea tamen lege, ut Legati Polonici propere accederent, licet non obligata fuisset Sac. Reg. M. <sup>tas</sup> ad resumendos tractatus; cum semel atque iterum frustra tentati fuissent; nihilo tamen magis Legati condicto tempore accessere, sed illorum loco internuntius quidam, JOHANNES MORSTEINIUS appellatus, qui nullas ad tractandum, statuendumque de pace perpetua, plenipotentias adduxit, verum literas tantum fidei à Rege, id præjudicij involventes, ut sub annis *Regnorum* suorum (cum unum tantum habeat, videlicet Poloniae regnum) ad calcem literarum annotatis, innueret, se esse Sveciae Regem, titulumque illius Regni, quem  
in

in fronte literarum S. R. M.<sup>ti</sup> ex pactorum præscripto tribuisset, esse frustraneum & inanem; ut silentio transeat, omiffam unam & cæterationem in titulo S. R. M.<sup>tis</sup>, quæ paritati inter utrosque Reges ex pactorum præscripto observandæ derogaret.

Sed quod inter præcipua censi merito debet, ne quidquam intactum relinqueret Rex Poloniæ, quo jugulum status Svecici peti posset, peregrinas etiam classes in mare Balthicum non ita pridem inducere est conatus, fæderaque cum varijs Principibus populisque, qui dictum Mare accolunt ac frequentant, inire, S. R. M.<sup>te</sup> solâ exclusa; ut luce meridiana clarius sit, dictas classes adversus S. R. M.<sup>tem</sup> Regnumque Sveciæ fuisse destinatas; cum tamen Pactis Stumsdorffiensibus statutum sit, ne Reges aut Respubl. Polona adversus Reges, Regnumque Sveciæ, subjectasque ditiones ac Provincias, classe ulla maritima, navibusq; utantur; durantibus Inducijs; indicantibus hoc etiam Regis GUSTAVI Magni cum urbe Dantiscana pactis, Ducumque Borussiæ & Curlandiæ cautionibus. Deinde, nulla tali classe, hoc præsertim tempore, opus habuit Rex Poloniæ, cum Mare Balthicum à turbamentis sit immune, nec à quopiam libertas ejusdem commerciorumque infestetur; ita ut illi potissimum rei intentus fuerit antememoratus Rex, quo tutelam sæpe dicti maris, ab antiquo Regum Sveciæ peculiarem, turbaret, illudq; S. R. M.<sup>ti</sup> iisque, quorum salus in ejusdem commerciorum libertate sita est, infestum redderet, & inita cum alijs societate, hoc pacto inter S. R. M.<sup>tem</sup> amicosq; suos diffidentiam excitaret, eosdemq; ab invicem sejungeret, complures S. R. M.<sup>ti</sup> Regnoque Sveciæ ea ratione inimicos parando.

Cumque non dubitet S. R. M.<sup>tas</sup>, quin Rex Poloniæ,

apud imperitos rerum & ignaros, actiones S. R. M.<sup>is</sup> fit traducturus, vel pactorum obtentu vel alijs rationibus: videlicet *primo* : debuiffe controversias exortas, per Commissarios utriusque gentis, ad fines Livoniæ sopiri, decidique. *Secundo* : Licet tractatus pacis perpetuæ semel iterumque non successisset, firmas nihilominus & inviolabiles manere debuiffe inducias, ad exitum pactorum. *Tertio*: Supradicta hæc verba *semel iterumque*, non pro binis vicibus accipi debere, sed pro pluries repetitis; eoque ad tractatus, non ad arma descendi oportere. Contra *primum* hoc reponi potest per Commissarios ad fines Livoniæ nihilo plus obtineri potuisse, quam per binos Lubecæ solennes conventus; deinde, quæ spes fuisset decisionis controversiarum per Commissarios ad dictos Livoniæ fines, ubi ne præliminaria quidem iterato Lubecæ congressu, annitentibus etiam Mediatorum Legatis, pertractari potuere? Ad *secundum* : Cum nihil præfidij in pactis habuerit S. R. M.<sup>is</sup>, quippe toties à Rege Poloniæ violatis, ad arma decurrere necessum eidem fuit. Ad hæc ea etiam est Contractuum & pactorum ratio, ut, cum mutua stent obligatione, altera partium non teneri se ulterius pactis putet, ubi ab alterutra violata sunt; nec sine maximo detrimento S. R. M.<sup>is</sup> Regni que Sveciæ expectari pactorum exitus potuisset: tam frequentibus & exitialibus Regis Poloniæ machinationibus. *Tertio*, ut pluries, quam bis, Commissarij utriusque partis convenirent, contra sensum est pactorum, quæ necessitatem quandam partibus hoc ipso imponere voluerunt absolvendi negotij, ne irritus & repetitus sæpissime congressus, mentes exacerbaret, & partes omnium gentium ludibrio exponeret, maximarumque impensarum causa esset. Eo tamen se adduci passa est

S. R.

S. R. M.<sup>tas</sup>, ut pro suo ad pacem perpetuam studio, consenserit in tractatus stabilis & duraturæ amicitiaë, ea conditione, ut Legati Polonici pro spe à CANASIHLEO facta nulla interposita mora advenirent.

Ex hisce omnibus orbi Christiano liquido constare potest, quam justum S. R. M.<sup>tis</sup> contra Regem Poloniaë bellum, quamve necessarium sit, ad antevertendas perniciosas sæpe dicti Regis Poloniaë machinationes. Proinde S. R. M.<sup>tas</sup> non tantum coram orbe Christiano excusatam se fore confidit: verum etiam has rationes omnibus ijs, qui hæc introspicient, etiam subditis Reipubl. Poloniaë, harum machinationum ignaris, probari posse.

---

AD

*Sereniss. & Potentissimum*

ROMAN. IMPER.

FERDINANDUM III.

*Sereniss. ac Potentiss.*

REGIS SVECIAE

CAROLI GUSTAVI

LITERÆ.

*Serenissime & Potentissime Imperator, Domine Frater,  
Consanguinee & Amice charissime.*



Tfi non dubitamus, quin M.<sup>tas</sup> V.<sup>ra</sup> jam diu ex Residente suo in aula nostra hætenus commorante, cognoverit, cui fini apparatus armorum

B 3

rum

rum in Regno & Provincijs nostris ultrà solitum proxime præteritis mensibus institutum destinaverimus: svadent tamen amicitia & vicinitatis leges, ut M. ti V. ræ occasionem & causas actionis, quam nunc contra Regem Poloniae aggredimur, etiam literis aperiamus.

Intercessit jam diu inter Antecessores nostros Reges Sveciæ ex una, & Poloniae Reges ex altera parte controversia: quæ quia in herba non potuit sopiri, bellis satis diuturnis & gravibus utramque gentem implicuit, & tandem una cum Sveciæ sceptro ad nos est devoluta: sed tamen cum quadam armorum cessatione, ita ut, cum gubernacula Regni susciperemus, ex inducijs anni circiter sex restarent. A nobis itaque rerum in Svecia potitis, muneris nostri ratio exigebat, pervidere, quid hætenus durantibus inducijs inter utraque Regna actum, & quo loco res utrinque tum essent: ne dum & animi nostri inclinatione, & ex Lege conventionis Stumsdorffienfis conservationi induciarum, pacique perpetuæ faciendæ, religiose consuleremus, præter spem tricis inevitabilibus, & bello exitiali involveremur.

Ut autem tota hæc res eo melius intelligatur, considerandum venit, quod inter alia dictis induciarum pactis conventum sit, *primo* ut ex Regno Poloniae, Magno Ducatu Lithuaniae, & cæteris ditionibus Polonicis, nullæ molitiones, ne dum hostiles actiones tentarentur adversus Reges, & Regnum Sveciæ: *Deinde*, ut Rex, & Respublica Poloniae, adversus Regem Regnumq; Sveciæ nulla classe utatur, vel alijs quibuscunque auxilio submittat: *tertio* ut currentibus inducijs agatur de pace perpetua, ita tamen, ut si tractatus ejusmodi semel aut iterum non successerit, firmæ nihilominus, & inviolabiles manerent induciæ.

Quod contra expressas hæc pactio-  
Polo-

Poloniæ Rex ULADISLAUS nunc hostilem irruptionem in Livoniam, sive conniventia sive auxilio promoverit: nunc alibi aliorum nobis tunc infesta arma adjutaverit: nunc Sveciæ à Dania cessam & debitam Insulam Oseliam subtrahere, & quocunque alio modo ex amicis inimicos, & hostes Sveciæ reddere, imo subditos ad defectionem sollicitare annis fit: ita omnibus vicinis tam ex rerum notorietate, quam publicis scriptis nota sunt, ut uberiori deductione nunc non egeant.

Nos nostris temporibus propria partim ludibria, partim damna, & quidem nobis ipsis, & Regno nostro à moderno Poloniæ Rege, sub specioso pacis simulacro præparata, & jam jam imminetia exitiosa consilia, paucis commemorabimus.

Cum honoratissima nostra Mater, & Confanguinea, Serenissima & Potentissima Sveciæ Regina Christina, post mortem Regis Poloniæ Uladislai rogaretur, ut fratres ejusdem Principis superstites, Johannem Casimirum, & Carolum Ferdinandum commendaret Senatui & Ordinibus Poloniæ Magnique Ducatus Lithuaniae, quo eorum cumprimis ratio in electione novi Regis haberetur, id equidem pro ambobus singulari cura fecit, & cumprimis Principis Johannis Casimiri, ut ætate provectioris, promotioni omnem suam operam & studium accommodavit: hoc sibi emolumentum exinde expectans, ut vel ipse Princeps Johannes Casimirus, ad Regiam dignitatem evectus, tanto sincerius ad perpetuam pacem æquis conditionibus faciendam excitaretur: vel si eam negligeret, Orbi tamen constaret, quantum heroica mens propinquo sibi sanguini tribuisset. Verum enim verò quam Johannes Casimirus Princeps commendationis causa venerabatur, eandem  
postea

postea corona Poloniæ insignitus, contra pactorum præscriptum, debito Coronæ Svecicæ honore afficere detractabat. In ipsis induciarum pactis expressa est mutux Titulaturæ ratio, quæ ceu fundamentum cessationi armorum substructa, utrinque postea erat observanda: idque in Tractatu Stumdorffiensi ratione Poloniæ, ejusdem primarius Commissarius, datis literis ad Sveciæ partis primarium Commissarium, testatum fecit, confirmantibus insuper id ipsum, non modo Regis Angliæ, & Ordinum uniti Belgij Legatis, sed ipso etiam usu. Hanc mutux correspondentiæ basin subruturus hodiernus Rex Poloniæ, vel non dedit antememoratæ Reginæ titulos stylo pactorum congruentes, usus Gallico sermone, à titulorum congerie alieno: vel in Latinis literis & scriptis titulum quidem Regni Sveciæ retervando, idque nunc in literarum, & procuratoriorum scriptura, nunc in sigillorum partim integra structura, partim corundem sive incrustationibus, sive involucris.

Cum Mediatorum interventu Lubecensis bini congressus ad pacem perpetuam constituendam essent decreti institutique: primum & præcipuum obstaculum tam salutari proposito objecit Rex Poloniæ, indebita sibi titulorum Sveciæ usurpatione. Nam præterquam quod Polonici Commissarij ibi producebant Plenipotentias varijs vitijs refertas: etiam Rex Poloniæ in iisdem ipsis Plenipotentijs sibi titulum Regis Sveciæ retinuit. Et cum inculcatum satis esset, talia præjudicium afferre conventionis usitato stylo, & tractatus tum præsentis initio progressuique: Commissarij Polonici agnoscentes errorem, fidem dant Regis Christianissimi Legato, intra tres, vel ad maximum quatuor hebdomadas Sveciæ Commissarijs iri satisfactum. Verum tantum abest, ut ex condicito emendatas  
retu-



retulerint Plenipotencias, ut post longi temporis jacturam, tandem sint causati: se non fuisse ausos compellere Regem suum super tituli Svecici omissione.

Huic irrito congressui successit alter ejusdem modi & eventus. Nam tum quidem Rex Poloniae in Procuratorij scriptura titulis Sveciae abstinebat: verum retinuit eosdem, & Regni Sveciae Insignia in ipso sigillo Plenipotentiae annexo. Paratis Sveciae Commissarijs expectare emendationem sigilli, ut ita integris Procuratorijs rem sibi propositam aggrederentur; tandem aliquando respondetur, Regem Poloniae Cosakis debellandis occupatum, vix admissurum hanc sigilli mutationem; & si illuc induci posset, non habiturum illuc locorum artificem, novo sigillo conficiendo idoneum: adeo ut ob hanc tergiversationem alter congressus sit abruptus, & honoratissimae Nostrae Matri & Consanguineae tum Sveciae imperanti, fatis superque patuerit, Regem Poloniae mutatis tantum ludificationibus tempus trahere, & insidiari ejusmodi occasione, qua rebus domi compositis Sveciae possit imminere.

Cum altememorata & honoratissima Nostra Mater superiori anno rerum in Svecia adhuc potiretur, & missus tum illuc nomine Regis Poloniae internuncius Canasihles contestaretur, Regem suum, & Rempublicam Poloniae velle Legatos suos plena cum potestate Stockholmiam ablegare, de toto negotio transacturos; eidem Polonico Delegato, nos illico post susceptum Regni sceptrum, per Nostrum Regnique Nostrum Cancellarium fecimus significari: Nos equidem teneri singulari desiderio componendi haec diuturna & cruenta dissidia; sed antecedentium tractatum vestigijs admonitos vereri vel ingesta haecenus ludibria & injurias, vel rerum inanes & ehulorias procrastinationes; à

C

parte

parte Sveciæ abunde esse satisfactum pactis induciarum, quod semel atque iterum in primo Lubecensi congressu ludibria Regis Poloniae tolerata sint. Quod vero tam solenniter per primi congressus Acta admonitus, idem Rex sustinuerit tamen in altero repetitis vicibus in ejus usque finem priori iudificationi insistere: id vel patientissimi Principis animum læderet. Si Regi Poloniae cordi esset solida & duratura pax, missis non necessarijs & præjudiciosis missionibus, cito, & sine ambagibus per suos & Reipublicæ Plenipotentiarios in rem præsentem veniret, experiturus in omnibus æquanimitem nostram: sin pergeret in proposito suo, mittendis scilicet ad decipiendum Nos Orbemque universum internuncijs, literisque juribus & dignitati Nostræ Regiæ derogantibus, non posse Nos tot documentis edoctos, aliud de illius actionibus iudicium ferre, quam Regem Poloniae susque deque habere sacrosanctam pactorum fidem.

Hisce tamen spretis, venit præterita hyeme in Sveciam non Legatio aliqua Polonica cum plena potestate: sed, ut ipse præ se ferebat, *preliminaria*, ratione loci & temporis, ad futurum congressum complanaturus, Regius Cubicularius Morsteinius. Apographum literarum fidei, à Rege Poloniae ad Nos directarum, continebat equidem Titulos utriusque nostrum convenientes: sed Rex Poloniae, ut imaginarium illud jus, quod in regnum Nostrum prætendit, aliqua ratione, expunctis jam Titulis Sveciæ, reservaretur, in fine literarum adscripsit sibi *plura Regna*, quum tamen uno tantum gaudeat: ut nihil nunc addamus de intermissa una, ex pactorum præscripto & stylo, inferenda, & *iteratione*; quo etiam defectu Regum æqualitati derogatum ibat. Non potuimus non agre ferre, nobis post sinceram illa

ra illa monita, quibus Canasihles dimittebatur, ita adhuc illudi.

Qui sine præjudicio rem considerat, deprehendet, non levem & minutulam interpungendi rationem hic verti, sed injusta plurium Regnorum vendicatione, quasi gravi ictu, concuti & Regiam nostram Coronam & fundamentum pactorum, præcisa plane spe futuræ transactionis.

Passi itaque sumus, ut nostri Regniq; Nostri Senatores apud Senatum Poloniæ super hac indignitate quererentur.

Interea & dum hæc agitantur, ex varijs locis certiores reddimur, eundem Regem Poloniæ non modo superius indigitatæ Svecicorum subditorum defectioni in Livonia magno studio infudasse, sed pacandis etiam Cosakis Livoniam prædam & sedem jam diu offerre. Et quod Nos, Regnum, Provincias & subditos nostros quam maxime afficit, eo ipso tempore, quo Rex Poloniæ apud Nos videri vult serio agere de pace, vicinos & Amicos nostros, præsertim mare Balthicum vel accolentes vel frequentates, ad communem societatem, nobis exclusis, pellicere, & conceptâ jam foederis formulâ peregrinam classem dicto mari, in manifestum & irreparabile juris & rationum nostrarum præjudicium, inferre satagit.

Qui vel non satis consideratis partium rationibus & rerum circumstantijs, vel Poloniæ addictiores, de supra dictis ultimis incidentibus judicium ferre deprehenduntur, ingerunt, tam graves querelas vigore pactorum, & inducijs Salvis, ab utriusque partis Commissarijs, loco aliquo ad Livoniæ fines debuisse ventilari, decidi & sopiri.

Niteretur hæc eorum objectio aliqua juris specie, si Polonia tum, cum vel Senatores Sveciæ, vel armorum Svecicorum ductores, alijque ministri sæpius questi iunt de

Poloniæ Regum molitionibus & hostilibus attentatis adversus Sveciam, Commissionem talem, medendis justis Sveciæ queremonijs vel semel serio procurasset. An Rex celaverit Senatam & Ordines querelas Sveciæ, vel ipsa Respublica se talium consiliorum participem fecerit, nunc non inquirimus. Hoc tamen certum est, Sveciæ querelis quandoque responsum esse vel facti extenuatione, vel ejusdem ignorantia: quandoque nihil responsi relatum est. Nemo à partium studio alienus judicaverit, consilij animisque Polonorum ita comparatis, esse è re & decore Regum Sveciæ, commissiones à Regibus Poloniæ emendicare. Et quis Commissionum ad Livoniæ fines instituendarum alium sibi eventum, quam habuere binæ illæ Lubecenses, præfiguraret? Nam in ejusmodi Commissionibus nihil, quod summam rei concernat, potest agi absque Plenipotentij, & Lubecæ protulerunt Poloni vitiosissimas.

Quum itaque Poloniæ Rex, legitimis transigendi modis spretis, ludibria ludibrijs cumulet, floccique faciens damna antea Sveciæ illata, nunc ultimum Status nostri jugulo exitium admoveere paret, M.<sup>ti</sup> V.<sup>ra</sup> perpendendum relinquimus, quid Ipsa in tali rerum articulo sibi faciendum judicaret. Nos frustra tentatis omnibus mollioribus & pactorum tenori conformibus remedijs, id demum, quod tutandis vindicandisque nostris juribus, conservandæ dignitati, & protegendis subditis, ditionibusque nostris divina nobis Majestas concedidit, arripere sumus coacti.

Quæ omnia & singula vel ideo M.<sup>ti</sup> V.<sup>ra</sup> nunc paulo fusius exponimus, ut Ipsa non modo hujus nostri contra Regem Poloniæ facti rationes penitus videat: sed simul etiam certior reddatur, Nos velle non modo pacem, Osna-brugis & Monasterij Westphalorum factam, ea cura, qua-

lem.



lem data fides, & pactorum religio requirunt, servare, sed  
præterea etiam nihil eorum intermittere, quæ ad bonam  
amicitiam & correspondentiam facere videbuntur. Qui-  
bus M. tem V. ram Divinæ Tuitioni peramanter commenda-  
mus. Dabantur Wolgastij, die 18. Julij 1655.

Majestatis Vestræ

*Bonus Frater Consanguineus & Amicus*

Carolus Gustavus.

M. Biörenklau.

---

EXEMPLUM  
Literarum Regni Svecici Senato-  
rum ad Senatores Regni Poloniae.

**N**os Senatores Incluti Regni Sveciae, Reveren-  
dissimis Illustrissimis, Reverendis, Illustribus, Magni-  
ficis & Generosis Dominis, Senatoribus Regni Poloniae,  
magnique Ducatus Lithuaniae, Vicinis & Amicis no-  
stris observandissimis, Salutem & prosperam rerum incolumita-  
tem.

Reverendissimi, Illustrissimi, Reverendi, Illu-  
stres, Magnifici & Generosi Domini, Vicini & Amici ob-  
servandissimi. Vidimus eos non raro præterlapsis nuper  
annis, qui sub eximio provehendæ pacis titulo, & Sere-  
nissimam ac Clementissimam antehac Reginam nostram  
Christinam, & Serenissimum deinde hodiernum Regem  
Dominum Nostrum Clementissimum, nomine Serenissi-

C 3.

mi

mi Poloniæ Regis convenerunt. Præsenti etiamnum tem-  
pore adesse quendam Nobilem Morstenium intelligimus,  
qui negotia prioribus non dissimilia mandato Regis vestri  
expedienda suscepit. Quamvis vero ex ijs quæ indica-  
re necessum habuit, antequam ipsi integrum esset sperare,  
ut in conspectum Regium admitteretur, talia pateant, quæ  
irritamento dissidiorum nostrorum, quam eorum recon-  
ciliationi propiora sunt: integritati tamen suæ conceden-  
dum existimavit Serenissimus Rex Dominus Noster Cle-  
mentissimus, ut nihilominus pro munere nostro, Senatori-  
um Ordinem vestrum nonnulla candide & tempestive hisce  
literis moneremus.

— Scilicet Regiæ illius Majestati constitutum est, aut can-  
dore suo res utrinque nostras ad solidum & securitati no-  
stræ convenientem amicitiaæ usum revocare; aut alias id  
agere, ut, quodocunque suæ Regniq; sui dignitati ac con-  
servationi, Divina adjuvante gratia, ab aliorum injurijs &  
imminentis quocunque periculo prospicere cogatur, tum  
apud orbem universum, & in ipsis Illustrissimarum Domi-  
nationum vestrarum conscientijs, justissimæ Illius sollicitu-  
dini ratio sua constet.

Quamdiu internuncijs reciproci tractandi studium  
excitari invicem decuit, non modo vestros Serenissima Re-  
gina Christina benignissime admisit, sed ipsa paribus vicis-  
sim humanitatis officijs nequaquam defuit. Nihil in se de-  
siderari passa est, si tractatus pacis urgere oporteret, si  
Commissarios suos ijs peragendis rite constituere. Ubi  
vero deprehensum fuit, iteratis Lubecæ legationibus ve-  
stris, neque convenientes tanto negotio adfuisse Pleni-  
potentias, neque Commissarios vestrates, favore quietis  
publicæ commoveri potuisse, ut in ijs quæ nobis statuique  
nostro

nostro indignissimum erat negligere, vobis vero in pacem  
 pronis obrinuisse nequicquam profuit, ab opinione sua  
 non nihil recederent; facillimum erat prævidere, similes  
 semper congressus pares exitus habituros.

Nemini itaque mirum videri potuit, si internuncijs  
 deinde vestris aperte testati sumus: ambagibus & verbis  
 ipso eventu irritis circumagi gentem nostram, neque de-  
 corum illi, neque tolerandum esse. Constans avis paren-  
 tibusque nostris fuit institutum, idemque mos adhuc ma-  
 net, honestam vobiscum pacem sincere potius quam spe-  
 ciose & admittere & prosequi; dummodo Regum juste no-  
 bis imperantium, Regnique hujus honori ac securitati re-  
 cte provisum fuerit.

Eo equidem animo Sereniss. Rex D. N. Clementiss.  
 cum nuper evidenti Numinis benignitate & clarissimis vir-  
 tutibus suis, ad summam rerum apud nos evectus esset, in  
 ipsis regnandi initijs expeditissimam tranquillitati inter  
 nos reducendæ viam aperuit. Contigit enim Canazili-  
 um ipso momento translari in S. R. M.<sup>tem</sup> imperij, hic præ-  
 sentem esse. Quamvis Ille vero ad Serenissimam Regi-  
 nam Christinam à Serenissimo Poloniae Rege advenerat,  
 quoniam tamen sapius de pacis parandæ negotio in hoc  
 Regnum missus fuerat, & tunc quoque eam præcipue ob  
 causam accessisse se affirmaret, S. R. M.<sup>tas</sup> illi mentem suam  
 per defunctum nunc piæ memoriæ Illustrissimum Regni  
 hujus Cancellarium integerrime declarari mandavit. Quan-  
 doquidem enim, ingenium Regis & Reip. vestræ studium  
 summopere testabatur in mutuam nobiscum amicitiam  
 propendere, eandem quoque nobis non ingratham esse  
 intellexit; cæterum neque conducere ullius nostrum ho-  
 nori, neque ad liniendas lites nostras prodesse, priorum  
 tracta-

tractatum more vanis tantum rumoribus præbere materiam, Mediatorum officio creare Regibus Principibusque alijs molestiam, tandemque specioso apparatu quasi res maximas in conspectu orbis acturos convenire, deinde quocunque iterum prætextu discedere, unde vicinis nationibus ludibrium nobis vero in mutua odia suspiciones moveantur; atque sic animis ad conciliationem minus aptis ab invicem recedamus, quam quibus congressi fuimus. Hoc pretio nullos pacis tractatus placere, neque ijs semel iterumque in vanum tentatis, pluribus vi pactorum nos adstringi. Spem duntaxat solidam in eo consilio superesse, si Serenissimus Rex vester & Respub. vestra, loco tot internunciorum, quenquam sufficienti in eam rem potestate instructum, ad S. R. M.<sup>tem</sup> destinarent. Dissidia nostra alias gentes non attingere; ipso annorum decursu magna sui parte oblitterata merito esse debere. Quo compendiosius eo optatius componi posse. Sin istud vero Serenissimo Regi vestro & Illustrissimis Dominationibus vestris nequaquam arrideret; per S. R. M.<sup>tem</sup> Dominum Nostrum Clementissimum id quidem licere, sed pariter etiam prodesse, ut nemo amplius imperfectiori potestate munitus in ea causa huc mitteretur; quum non alio argumento nobis esset futurum, quocunque potius alio consilio, quam ingenuo pacis desiderio ejusmodi ambages nobiscum institui.

Hoc responso, quo evidentius aliud expectare non poterat, Canazilius in Poloniam redijt. Sereniss. vero Rex Dominus Noster Clementissimus, ut Majestati Regiæ humanitatem nihil derogare testaretur, primus ipse ministrum suum Johannem Cock ad Serenissimum Poloniæ Regem amandavit, cum literis, quibus indicavit se Sveciæ impe-



imperium suscepisse, & simul amicissima Regi vestro studia obtulit.

Nihil postea inter nos actum est, donec paucis antehac septimanis Morstenius in hanc urbem accederet, internuncium se dicens ad S.R.M.<sup>tem</sup> Dominum Nostrum Clementissimum à Serenissimo Rege vestro ablegatum. In ipso statim initio, reiterata toties inanis ea mittendi ratio, præsertim post luculentissimam in contrarium declarationem nostram, nihil solidi afferri ominabatur. Contigit autem multo magis præter expectationem, quod eodem momento quo calentes maxime Regis vestri affectus nobis persuadendi essent, ex copia literarum credentialium, quas ille secum apportavit, deprehenderetur, easdem præjudicio & dignitatis Regiæ & Status nostri esse refertissimas. Ita incipiunt: Ut paritati Regum nostrorum nonnihil detrahant: ita finiuntur: Ut sub Regnorum pluralitate, etiam in nullius momenti minutijs, intolerandæ Regis vestri adversus Statum nostrum prætensionem faveant.

Cœterum quod alias excusari nisi frigide non potuit, internuncius ipse incuriæ Cancellariæ vestræ imputandum censuit. In scribarum vestrorum negligentiam conquiendam nobis esse non censemus, neque anxij sumus an ea admodum callida sit, ut nullibi impingat nisi quando nobis imponendum est. Dignius multo de conspicua vestra prudentia judicamus, quam ut negotia, quibus tot populorum tranquillitas constat, adeo incaute tractari sinat.

Istius rei indignitas facile movisset Regiæ Majestati dubium, quomodo æquissimum esset eam excipere: tandem tamen sufficere sibi rata est, literas neque recipere, neque internuncium admittere. Præterea vero cum nihil illi potestatis esse intelligeret, nisi ut iterum de præparatorijs ad

D

pacem

pacem ageret, & alia quaecunque, antequam ea firmata sit, inani opera proponeret, moneri illum benignissime voluit, ne alias quascunque literas à Rege suo expectare constitueret. Serenissimo enim Regi Domino Nostro Clementissimo id esse propositum, ipsi indicatum fuit: ut, quamvis declarationi suæ Canazilio datæ ulterius quidem adstringi non possit, cum hæctenus irrita fuerit, divelli se tamen à constanti instituto non passurus sit, quo pacem cæteris omnibus ambagibus ante habet, modo de illa, sicuti Canazilio dictum est, & ex necessitate horum temporum prompte agatur, & ea obtineri possit, qua dignitati Regiæ, Regni, subditorumque suorum securitati in posterum satis prospectum videat.

Eadem ut nos Illustrissimis Dominationibus vestris perscriberemus, hæc potissimum fvasit ratio; quod mentem atque institutum Serenissimi Regis Nostri, genuinis verbis innotescere vobis cuperemus. Id enim est de amplissimo Ordine vestro S. R. M.<sup>is</sup> honorificum iudicium, & ita nobis est persvasissimum, ut quum viris egregia prudentiæ laude insignibus, in Patriæ suæ conservationem propensissimis, & antiquæ gentis suæ generositatis æmulis, emineat, tum præsentium temporum & rerum omnium momenta nullibi accuratius quam apud Illustrissimas Dominationes Vestras examinari arbitremur.

Nos quidem cum penitus non nihil introspicimus ubi vitia lateant, unde irritus toties extitit pius in tranquillitatem nostram conatus, non dubitamus eorum instinctui illa adscribere, qui, nisi aliquid semper moveant quod dissidiorum nostrorum memoriam & acerbiter exacuat, satis cauti sibi esse non videntur. An ea vero sit expeditis-

ditissima sanandi vulneris ratio, obductam cicatricem frequenter refricare, ipsæ Illustrissimæ Dominationes Vestræ secum cogitent. Ardum omnino fuit, & vix etiam post ingentes bellorum clades licuit flagrantibus primo fervore animis persuadere, ut arma deponerent, & indulgerent sibi nonnihil intervalli unde leniri possent. Postquam vero Dei Optimi Maximi beneficio in primis sex, deinde viginti sex annorum inducijs, modus repertus esset, amplissimum profecto spatium patuit, quo infensissimi etiam cujuscunque affectus, vel rerum ipsarum circumstantijs, vel ipsa temporis diuturnitate, quieti publicæ mitigarentur. Inducias dispendio etiam eximia provinciæ amplexi sumus; neque eo vel alio quocunque nomine nobis ingrata adeo exiterunt, ut unquam commoti simus, captandas eas occasiones, quæ vel ex proprijs viribus vel aliunde in incommodum vestrum enatae fuerunt. Serenissimi Reges nostri suis privatim studijs in Serenissimos Principes consanguineos, in primis hodiernum Regem vestrum, certa indicia deesse noluerunt; adeo quidem, ut quicquid Serenissima Regina Christina commendatione sua apud Rempubl. Vestram assequi potuerit, id omne ad provehendam Serenissimi Regis Vestri electionem impenderit. Litibus etenim nostris, si sopiri debeant, mutua paulatim officia, non irritamenta conveniunt. An vero pari voluntate ex parte Regum vestrorum responsum nobis fuerit, & an ea quæ in contrarium facta intelleximus Reip. etiam Vestræ culpa contigerint, examinare nunc nobis in animo non est. Agitari complura in detrimentum nostrum, & præteritis antehac temporibus & hodieque, non ignoravimus quidem adeo, quam negligenda existimavimus;

quo

quo liberius imminere nobis liceret tranquillandorum dis-  
sidiorum nostrorum occasionibus. Tandem vero, cum  
eodem quoque momento, quo pacis consilia nobiscum  
ineunda perhibentur, & apud alios non exigua in præju-  
diciū Regni hujus fieri cognoscamus, & ipsæ Regis Ve-  
stri credentiales literæ non careant vilipendio Regis atque  
Status nostri, Illustrissimis Vestris Dominationibus hæc si-  
gnificanda duximus, ut illæ judicent, an sic nobiscum agi  
nunc oporteat, & num id excitando in usum ac quietem  
communem affectui nostro congruat.

Quicumque eventus votis nostris integerrimis man-  
surus est, literas hæc cupimus testes esse, sinceram & pa-  
cis ineundæ, & securitatis nostræ conservandæ intentio-  
nem Illustrissimis Dominationibus Vestris ex parte nostra  
fuisse detectam. Quæ uti nos pro integerrimo nostro af-  
fectu in Regni utriusque incolumitatem Illustrissimas Do-  
minationes Vestras ignorare noluimus, ita de reciproca  
earum candore non dubitantes, Reip. Vestræ salutaria  
quæque precamur & Illust. Dominationes Ve-  
stras optime valere cupimus.

**F I N I S.**



1017

ne

Q.K. 381, 29.

Ena

SERENISSI

PRIN

DN.

GU

Svecorum

lorumque Rex

Dux Esthoniae,

Pomeraniae, Cas

Dominus Ingriae &

Rheni, Bavar

Re

Accesserunt lit

ad S.C.Maj. &

Polon



HENN

29)



MVS

S

da-

dia,

tini,

igia,

tinus

legis

at.



10.

R10.



Inches

Centimetres

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak

LICENSED PRODUCT

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13